

rationem sui actus reddere debent; quomodo inde colligitur causas presbyterorum Africae per Episcopos africanos finiendas esse? nonne eorum ipsiusque Primatis superior erat Romanus Pontifex? An voluit dicere Cyprianus dubitandum non esse de iustitia Episcoporum in sententiis ferendis, cum ii regant gregem suum tanquam reddituri Domino rationem suae gubernationis? eodem enim sensu loquitur paulo inferius Cyprianus: « nobis tamen, a quibus ratio Domino reddenda est, anxie ponderantibus et sollicite examinantibus etc. ». Id quidem probabile magis est; ut haec sit sententia Cypriani: non debere eos quibus Episcopi praesunt, circumcursare sive alios quaerere iudices *praetermissis suis Episcopis*, quod quidem fit cum iudicium eorum in prima instantia evitatur; quia singulis portionibus gregis Episcopus est praepositus, qui ius proinde habet iudicandi, et de cuius sententiae aequitate nefas est dubitare. Nihil est ergo quod in his Cypriani verbis impetat appellationes romanas. Neque ex his verbis constare potest existentia eo tempore illius canonis, quo prohibebantur inferiores clerici ab appellationibus transmarinis: ad has enim statutum, quod Cyprianus refert, non spectat.

Obiicitur et illud quod canone V Nicaeno superius descripto praecipitur, ac si prohibitum foret ad alios iudices extra provinciam, ideoque et ad Romanum Episcopum appellare. Sed duo prorsus diversa sunt distinguenda. Aliud est enim legitimum iudicem superiorem recipere subditi appellationem, et iudicii ordine servato sententiam ferre: aliud est episcopum quemlibet recipere in sua communione subditum alienum excommunicatum. Istud vero non illud prima parte huius canonis cavetur. Altera vero pars praecipit quidem causas ad Synodum Provinciae deferri; sed 1) ibi sermo est de causis inferiorum clericorum et laicorum: 2) non dicit canon iudicium illud esse supremum: Innocentius vero I legitimus canonum interpretis ait intelligenda ea esse sine *praeiudicio Romanae Sedis*, quemadmodum supra attulimus. Eo canone primum abusi videntur Ariani Antiochiae adunati contra Iulium I (cf. Sozomenum L. III, c. 8); eosque sequuntur De Marca L. VII, c. 2. alique.

Obiicit idem De Marca *ibid.* can. XV Antiochenum. « Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab *omnibus* Episcopis eiusdem provinciae, *cunctique consonanter* eandem contra eum formam decreti protulerint: hunc apud alios nullo modo iudicari, sed firmam *concordantium* Episcoporum provinciae manere sententiam ». Unde consequens esse vult De Marca sententiam Synodi provinciae in causa Episcopi inappellabilem esse. Verum idem De Marca advertit canone XII eiusdem Synodi antiocheni statui quod Episcopus damnatus a Synodo provinciae possit ad maiorem Syn-

odum provocare: quae quidem ipsi videntur contraria. Sed nulla est oppositio. Canon XV nectendus est cum XIV: in hoc praecipitur ut si in Synodo provinciae Episcoporum vota non convenient ita ut nequeat sententia ferri, metropolitanus vocet episcopos vicinos ut possit aliquid definiri in prima instantia: canon vero sequens statuit e contrario quod si concordantes sunt omnes Episcopi provinciae in ferenda sententia, alii episcopi non vocentur pro iudicio primae instantiae. Sed sicut non negatur appellatio ad maiorem Synodum, de qua in can. XII. quamvis de ea hic mentio non fiat, ita nec negatur appellatio ad Romanum Pontificem, sive eius Synodum, quae certe est maior Synodo provinciali. (Cf. Schelstrate *op. cit.*).

Perperam rursus idem De Marca *ibid.* provocat ad canonem II. Conc. Constantip. I. ubi dicitur: « non invitati Episcopi ultra Dioecesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis ecclesiasticis causis, servata regula, quae superscripta est de unaquaque Dioecesi. Manifestum namque est quod per singulas quoque provincias Synodus provincialis administrare et gubernare omnia debeat, secundum ea quae sunt Nicaeae definita. » Quibus posterioribus verbis non dicitur Synodum provincialem esse supremum et inappellabilem iudicem in suis sententiis ferendis, sed ad eam non ad Episcopos alterius provinciae spectare provinciae administrationem. Canon editus est contra Episcopos Vagantes, et sicut non excludit auctoritatem Primatis aut Patriarchae supra Synodum Provincialem, imo in praecedente parte canonis eam significat, ita neque excludit auctoritatem Romani Pontificis. Ceterum canon est editus tantum a graecis, nec olim receptus, sicut nec alii illius Concilii, a Sede Romana.

Idem De Marca parum sibi constans postquam docuit Synodos provinciales inappellabiles esse, praerogativam hanc tribuit Synodis Patriarchalibus, ad quas proinde appellari potest, quo destruitur statuta praerogativa Synodorum provincialium. Provocat De Marca (*ibid.* c. 5) ad canonem VI Concilii Constantip. I (confer quae de hoc canone dicimus in Proleg. §. XVIII, p. 123 in Nota.) quod idcirco utramque rem constitisset. Consideranti canonem liquebit ipsum neque id praecipisse quod vult De Marca, neque aliquid statuisset contra canones Sardicensis. Pars canonis, quae ad nos spectat, haec est: « si nonnulli (quos licet accusare) dicant se habere aliquas adversus episcopum criminationes, eos iubet S. Synodus primum quidem apud Provinciae episcopos accusationem persequi, et apud eos probare crimina episcopi, qui aliquarum rerum accusatur. Quod si evenerit ut provinciales episcopi crimina, quae episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad maiorem Syn-

odum Dioecesis illius episcoporum pro hoc causa convocatorum. » Prohibet deinde ne ad Imperatorem res deferatur.

Atqui 1) non negant Patres Constantinopolitani Episcopum damnatum a maiore Synodo posse appellare Romam, seu non dicunt sententiam illius Synodi esse supremam et inappellabilem: 2) neque in huius canonis constitutione locus erat sermoni de appellatione; non enim in eo agitur quid liceat reo, sed quid debeat praestare accusator: neque agitur de hypothesi, quod episcopus damnatus velit audiri in alio iudicio, sed de hypothesi quod episcopi provinciales non sint pares corrigendis criminibus, quorum accusatur episcopus. Unde 3) neque opponitur hic canon canoni Sardicensi primo ex citatis, qui iubet arbitrio Romani Pontificis rem permitti; id enim praecipitur in ea hypothesi quod prolata prima sententia a Synodo provinciali ipse reus petat audiri in alio iudicio.

Provocat quoque (ibid.) ad canonem IX Chalcedonensem in quo praecipitur « quod si adversus eiusdem provinciae metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Dioeceseos, aut Sedem regiae urbis constantinopolitanae, et apud ipsam iudicetur. » Hic canon editus est in ea sessione, in qua editus est quoque XXVIII de privilegiis Sedis Constantp. (Cf. David op. cit. c. III. a. 4) et ad eundem scopum spectat: Episcopo enim Constantinopolitano, quem praeferre voluerunt ceteris Patriarchis in Oriente, hanc quoque praerogativam detulerunt ut causae contra quosvis metropolitanos, praetermissis propriis Primatibus, apud ipsum agerentur. Iam vero 1) Canon editus videtur absque consensu Apostolicae Sedis, quae illum probare non potuit; etenim cum Leo irritaverit canonem XXVIII, et eos quoque irritasse dicendus est, qui cum illo necessario cohaerebant. Imo 2) constat Leonem nullum disciplinarem canonem probasse sed positive improbasse. Epist. 114^m ad Episcopos Concilii ait se « per approbationem gestorum Synodaliū propriam cum illis inivisse sententiam *in sola videlicet fidei causa, quod saepe dicendum est* ». Et epist. 119^a ad Maximum Antiochenum « Si quid sane ab his fratribus quos ad S. Synodum vice mea misi, praeter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, *nullius erit penitus firmitatis* ». Ceterum (quoniam hic canon IX receptus in collectione Dionysiana est, et haec ab Adriano 1^o tradita in usum Ecclesiae Gallicanae) in hoc canone iudicium primae instantiae conceditur quidem Episcopo Constantp. praetermissis propriis Primatibus Orientis: sed non negatur ab eo posse appellari ad alium, h. e. ad Romanum Pontificem. Christianus Lupus (l. c.) censet hoc in canone non agi de omnibus clericis aut episcopis cuiusque Patriarchatus, qui omisso iudicio sui Patriarchae possint adire Episco-

pum Constantp. sed de clericis et Episcopis trium dioeceseon super quae iura Patriarchica conferre voluit Synodus Episcopo Constantip. Cetera futilia et inepta, quae congerit De Marca, videantur confutata penes eundem David l. c.

Febronius c. V, §. 6. contra appellationes Romanas adducit monumenta antiquitatis: nempe 1) est Novella CXXII Imperatoris Iustiniani, qui enumerans instantias iudiciorum ecclesiasticorum, mentionem facit Synodi Episcopi et Synodi provincialis atque patriarchalis, cuius sententiae nullam partem contradicere valere decernit, nulla mentione facta Romani Pontificis. Verum, omisso quod in hac re non est testis idoneus Iustinianus, qui frequenter iura sacerdotii sibi arrogavit, respondemus cum David c. III, a. 5. et Natali Alexandro H. E. sec. IV, D. 27, p. 3. agi ibi de causis civilibus quorum cognitio Episcopis demandata vel permissa erat. 2) Concilium provinciale Lugduni habitum an. 567. quod praecipit ut si lites inter Episcopos exstiterint, contenti sint iudicio sui Metropolitanis; si autem sit diversarum provinciarum, conveniant ambo Metropolitanis et communi sententia fratrum res iudicetur. Respondemus: ergo contra omnes veteres canones secundum et tertium iudicium Episcopis denegatur, cum altum sit de iis silentium in hoc canone? quod si silentium non aequivalet negationi, cur dicitur negatum ius appellandi Romam? Scilicet episcopi in ea Synodo decernunt ea tantum quae ad ipsos spectant, iura nempe episcoporum provinciae in suos subditos, ceteris, quae ad universalis Ecclesiae regimen spectant, permissis superiori auctoritati. Idem respondendum ad canonem VI Concilii Francofurti qui eandem exhibet sententiam. 3) Ex 70 capitulis, quae anno 785 Adrianus I tradidisse dicitur Engelramno, vel vicissim hic illi, capitulum XII habet, quod prudentissime iustissimeque nicaena sive africana decreta definierunt quaecumque negotia in suis locis ubi orta fuerint finienda: cum praesertim liceat omnibus, qui se gravatos putant ad Synodum provinciae, atque etiam ad universalem provocare. Respondemus capitula illa commentitia esse, illiusque hominis esse probabiliter mercem, a quo collectio Isidoriana est profecta (David. c. XV, a. 1); ideoque falso tribui Adriano, et nullius esse auctoritatis. Ceterum inter ea plura sunt quae Primatum Romani Pontificis, iusque appellationis apertissime tuentur; quod conqueritur De Marca L. VII, c. 20.

Coroll. Ex dictis hactenus videre est quo in pretio sit habendus *Codex Ecclesiae universalis* editus a Iustello homine protestante, tanquam codex quo vetus Ecclesia uteretur. Desiderantur in eo canones, qui vigeant certe in Ecclesia vetere, sunt e contrario canones plures quos olim Romana Ecclesia non recepit (David. c. 2).

VI. Potestas mittendi quocumque legatos nexa est essentialiter cum potestate *immediata suprema* regendi omnes fideles et pastores. Potestatem enim Romanus Pontifex habet immediatam in omnibus fideles quoad omnia: porro ipse potestatem suam potest delegare aliis, qui ipsum repraesentent, suaque vice immediatam potestatem exerceant, longinquis provinciis praesentiam quodammodo Romani Pontificis impendentes (Leo ep. 14^a, c. 1^o ad Anastasium Thessalon.). Id enim insitum est iuri potestatis cuiusque ordinariae ut possit delegari. Nec ulla fit iniuria Episcopis; potestas enim Romani Pontificis immediata et ipsa est et Episcopali maior, ac necessaria magis; quae potestatem Episcopalem non destruit, sed sibi subordinat. Sicut ergo componitur potestas Episcopi cum potestate Romani Pontificis, ita illa componitur quoque cum potestate legati Pontificis, quae est ipsa potestas Romani Pontificis alteri delegata actu se exercens per medium. Usus porro horum legatorum a necessitate sive utilitate eorumdem determinatur. Hinc seculo XI adeo frequens fuit; cum enim a tot Episcopis et Metropolitanis simoniae vel incontinentiae labe pollutis exspectanda non esset reformatio Cleri et populi, opus fuit ut Romanus Pontifex suos mitteret legatos, quibus res strenue agenda committi posset. Sed et prioribus Ecclesiae seculis viguit huiusmodi usus. Sane Concilio Arelatensi non oecumenico praefuit Silvester per suos legatos (Cf. Baronium an. 314 n. 51). Item Osius in Oriente pluribus Conciliis provincialibus tanquam legatus Romanae Sedis praefuit; nec enim alio iure praeesse potuit. « In qua enim Synodo (ait de eo Athanasius in apologia de fuga sua) ille non dux et antesignanus fuit..... quae Ecclesia illius praesidentiae non pulcherrima monumenta retinet? » (Cf. Baronium an. 319, n. 22, 25 seq.). Liberius quoque legatos Vincentium et Marcellum misit ad Constantium, qui cogere Aquileiae concilium (ibid. an. 353 n. 16). Hinc iam a 5^o seculo ineunte ut vetus Ecclesiae disciplina habebatur institutio Vicariatus Apostolicae Sedis concessi quibusdam Episcopis, ut Thessalonicensi iam ante seculum 5^o, deinde aliis ut Tarracoenensi, Arelatensi etc. quo servatis privilegiis Metropolitanorum, vices Apostolicae Sedis cum iurisdictione alicui delegabantur, ut sive ea quae ad Canones pertinent, sive ea quae ab Sede Apostolica erant mandata servarentur. In his autem instituendis vicariatus Romanus Pontifex non se gerebat ut Patriarcha Occidentis, sed ut successor Petri, et totius Ecclesiae Episcopus, ut patet ex epistolis Innocentii I Bonifacii I Sixti III ac Leonis M. ad Episcopos Thessalonicenses, vel ad omnes Episcopos Illyrici datis. Cf. Ludovicum Thomassini Vetus et nova disciplina etc. P. I, L. I, cc. 30, 51 et Responsum SS. D. N. Pii VI ad Metropolitanos.... super nunciaturis apostolicis

c. 8, sect. 3. Et ne longiores simus, potestas haec mittendi legatos asserta est Romano Pontifici a Patribus Sardicensibus in iis canonibus, quos iam explicavimus: ergo.

THESIS XVIII.

Forma proinde regiminis Ecclesiae iure divino est monarchica.

I. Forma regiminis socialis triplex olim distingui solebat, *monarchica, aristocratica, democratica*: additur nunc et ea quae *constitutionalis* seu *repraesentativa* audit, quae est quoddam temperamentum monarchiae et democratiae. In hac enim suprema auctoritas legislativa est praecipue saltem penes delegatos a populo, potestas autem *executiva* legum penes Regem eiusque ministros. Quaeritur qualis sit forma regiminis a Christo instituti in Ecclesia.

Itaque ut doctrinam catholicam tueamur, praemittimus 1) notionem formae regiminis Ecclesiastici non a priori fingendam, non ex analogia aliarum societatum derivandam, sed ex Christi positiva et libera institutione desumendam esse. 2) Putandum non esse Christum potestate eaque suprema instruxisse subiectum illud, quod ex ipsius Christi institutione nunquam valeat vel ullum actum potestatis eiusdem exercere; potestas enim datur propter actum: et ad nullum actum sive ad nihil nulla est potestas. 3) Cum de forma ecclesiastici regiminis quaestio fit, sermonem esse de ea forma cuius subiecta visibilia sunt, parsque illius societatis quae eo regimine gubernatur. Neque enim ex eo quod quaevis societas Deo monarchae subest, forma regiminis cuiusque societatis est monarchica. Sed in ipsa societate visibile visibilis forma regiminis esse debet.

Iam vero ex illis tribus recensitis formis nequit una simul cum alia esse *formaliter* in eadem societate: quamvis *virtualiter* una cum alia attemperari possit; verum ab ea forma regimen sive politia societatis denominatur, quae formaliter inest. Porro regimen democraticum dupliciter concipi potest in societate: 1) *radicaliter*, quatenus (secundum quorundam sententiam) suprema potestas sit radicaliter seu secundum originem in ipsa societate: 2) *Formaliter*, quatenus actu exercetur ab ipsa societate. Ad hoc alterum vero necesse est ut suprema potestas sit actu penes universam societatem quae leges sanciat, quae magistratus omnes instituat, quos iudicare et punire pro culpa possit. Est autem forma aristocratica, cum potestas regendi est penes optimates, atque ita ut optimates ex aequo participes sint iurisdictionis, ita ut quamvis inter illos honoris gradu aliquis praecellere possit, nemo tamen sit, qui prae ceteris iurisdic-